



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

13. An etiam illis, quos scit pastor per solam confessionem in peccato
mortali versari?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41077

QVÆSTIO XIII.

An etiam illis, quos scit pastor per solam confessionem in peccato mortali versari?

Quæstionis explicatio.

CAsus est talis: Est ancilla, quæ secreto vivit in adulterio cum domino suo: Pastor audita cōfessione huiusmodi criminis noluit illam absolvere, quia pluries monita, noluit deserere occasionem propinquam peccati, hoc est adulterii: Modò peste correpta advocat pastorem, & sibi deferri petit venerabile sacramentum. Quæritur an pastor excusetur, an verò teneatur illi deferre & dispensare?

Responsio.

QVia publice petit, tenetur ei deferre, & dispēsare. Est assertio omnium fere Theologorum, qui hanc quæstionē attigerunt, & colligitur ex variis (a) Conciliis, & locis (b) iuris Canonici. Illius rationes variae afferuntur: Potissima videtur; quia negare peccatoribus occultis publice Eucharistiam petentibus, esset illos infamare, quod est intrinsece malum. Confirmatur, quia pertinet ad commune bonum & con-

a Conc. Vas.
1. c. 8. Africā.
c. 99. & 100.
b c. Si autē,
c. Placuit, 6.
q. 2. c. Si Sa-
cerdos, de off.
Ordin.

326 DE NECES. ET MOD. MINIST.
uenientem Ecclesiæ, vel cuiuscunq; Reip.
gubernationem, vt communia bona, quæ
publice distribuenda sunt à publico mini-
stro, ad hoc munus à Republica vel Rei-
publicæ Principe destinato, dispensentur
iuxta merita singularum personarum, non
iuxta priuatam scientiam ipsius ministri,
sed publicam & notoriam: Huiusmodi
autem est dispensatio huius sacramenti,
ergo quando publice fit, non est regulan-
da per scientiam priuatam. Confirmatur,
quia nisi prædicta regula seruetur, possent
multa scandala & perturbationes exoriri;
siquidem possent ministri sacramenti in-
famari; quos vellent, & peccatum vel indi-
gnitatem fingere, vbi non esset, præsertim
tempore pestis, quo plerique omnes à mi-
nistracione sacramentorum excusari petût.
Et e contra possent fideles sæpe formidari,
ne à ministris huius sacramenti infamaren-
tur. Confirmatur 2. communi exemplo
de iudice, qui secundum probabiliorem
opinionem tenetur iudicare secundum al-
legata & probata saltem in ciuilibus etiam
contra priuatam scientiam ob similem ra-
tionem. Accedit, quod practice loquen-
do in articulo mortis potest præsumi, quod
in præsentia sacramenti ob instantem mor-
tem, mentem mutabunt & vere conterent.
Dices.

Dices primo. Fit iniuria Christo, tradendo illum indigne: ergo potius negare debet, etiam cum infamia occulti peccatoris.

R. Negando quod assumitur, quia non tradit illi, quem scit indignum scientia illa, videlicet, publica; alioquin si publice sciret indignum, tunc procul dubio iniuriam faceret Christo, & grauissime peccaret.

Dices secundo: Facit contra conscientiam, dando sacramentum indigno.

R. Non facere, quia dictamen conscientiae tunc non est regulandum per scientiam priuatam, quam habet, maxime per confessionem; sed per scientiam publicam sicut ante diximus.

Dices tercio. Saltem cooperatur peccato sic indigne accipientis.

R. Non cooperari proprie, sed potius permittere, quod iuste non potest impedire, defectu, vt diximus, scientiae publicae.

):(

X 4 QV E